

GLOSSA IN PSALTERIUM.

[*Glossa in primam partem periisse videtur.*]

GLOSSA IN PSALTERII SECUNDAM ET TERTIAM PARTES.

PRÆFATIO HEBBERTI AD WILLELUM SENONENSEM
ARCHIEPISCOPUM.

Cum liber Psalmorum unus sit et non plures, ipsum tamen praeter morem quidem sed non praeter causam, in duos secavimus tomos. Id ipsum etiam et in libro secimus epistolarum, quem, cum non nisi unus sit, parti sumus in duos, hoc facientes in libris quod in oneribus fieri solet. Ad continentum quippe et contrectandum habiliora et aptiora sunt singula, quam si simul omnia uno sint pressa volumine. Et etiam quia simul et saepe plus

A plurium poterit lectioni prodesse hujuscemodi in libris partialis divisio. Tu igitur, beatissime p[re]s[ep]t, sectiones has quatuor simul suscipe, divisim lege, et si forte ad transcribendas has librarii vestri posuerint manum, ut concordantiae et notiae et extravagantes suis decenter aptentur locis, curiosae obseruetur: ne, ut saepe fit, per librariorum imperitiam seu negligentiam opus emendare quam scribere sit difficultius, p[re]sertim cum novi corripere operis non aliud quam frater sit destructoris.

ALANI PRIORIS CANTUARIENSIS

POSTEA ABBATIS TEWKESBERIENSIS

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD PHILIPPUM REGEM FRANCIE.

PHILIPPO, Dei gratia illustri Francoru[m] regi, cum aetatis incremento augmentum gloriæ et gratiæ apud Altissimum.

Piae recordationis Ludovici, patris vestri et nostri benefactoris, nec debemus nec volumus ullo unquam tempore esse immemores; sed magis ut teneamus in nostro est volo et affectu, ut ejus beneficis et honori, quæ beato martyri Thomæ in suo exsilio, et post gloriosam ejus victoriam in propria persona Cantuarie exhibuit, possimus vel in aliquo respondere. Ipsius itaque animam, quod nunc licet, devotis proseguimur orationibus, ut qui, dum vixit, id apud Ecclesiam Cantuariensem plene promeruit, C jam sentiat ipsius martyris et suorum devotionem sibi prodesse, qui eidem martyri et suis in tribulationibus et angustiis existit tam devotus. In hoc etiam excellentiae vestrae sumus obligati, ut non minus pro vestra salute quam sua sinus solliciti. Nimirum vestram magnificentiam nobis, sicut et multis, ad profectum non solum coronæ et regni, sed etiam fidei et devotionis reliquit heredem, ut,

B sicut ipse præcessit in spiritu mansuetudinis ad dirigendos sibi subditos in viam pacis et tranquillitatis, ita et vestra serenitas ejus sequatur vestigia, superadjiciens, quod et ipse superadjecit, hoc ad coronam regiae dignitatis jure hereditario speciare præcipue, quod omnes afflicti, et maxime pro justitia exsulantes, ad se summum debeant habere refugium. In quo et nos indubitate spem concepiimus, si ea tamen necessitas nobis ingruerit, quod debeamus et nos in nostra parvitatem invenire apud clementiam vestram, quod majores nostri in eadem vel consimili casu dicuntur promeruisse. Cum vero regiae celsitudini vestrae placuerit super his nos certiores fieri, tunc denunt firmiores erimes ad id quod quidam minantur acerius, fortius profectum. Si vero sublimitatis vestrae rescriptum super his de gratia vestra ad nos reverteretur, in angustiis ipsis quibus urgemur non modicum, maximum nobis credimus et optamus conferri salutium.

EPISTOLA II.

AD PRIOREM WINTONIE.

ALANUS prior Ecclesie Christi Cantuarie prior Wintonie, quam sibi salutem.